



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 49. Gratia Orationis, & modus duplex

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

§. XLIX. *Gratia, & modus orationis duplex.*

Sicut viatores dum iter agunt, semper locum in mente habent, ad quem proficiscuntur: ita qui orant, ad finem orationis qui est unio cum Deo, animi intentionem indefinenter dirigere debent, eo sibi præfixo scopo, ut sublatis impedimentis ad eam unionem disponantur. Inanis est orantium labor, si aliud in oratione exquirunt. Cum verò duplex sit oratio: una communis, quæ conatu & industria nostra fit, præveniente tamen, & cooperante gratia Dei, nemo enim, ut docet Apostolus. 1. Cor. 12. 5. potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto: altera singularis, & infusa, quæ non est in potestate nostra, sed à Deo infunditur quibus, & quando vult; utraque sanè desiderari, & peti ab illo potest, qui facit nos quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiat nobis; soli tamen meditationi modo communi, & consueto vacandum est, nisi quis divinâ inspiratione, & vocatione ad altius orationis genus elevetur. Gratia autem meditationis nihil aliud est, quàm facilitas mentem ad Deum elevandi, sanctos affectus concipiendi, & effundendi cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Hanc Deus humilibus largiri solet, qui non confidunt in virtute sua, ejusque opem implorant, ut à quo datur orandi præceptum, ab ipso petatur auxilium, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deforsum est descendens à patre luminum. Ideò incipienda est oratio à confessione nostræ impotentiae, & fragilitatis, à detestatione peccatorum, quia justus initio orationis accusator est sui, & à rectitudine intentionis nullo sibi proposito fine, nisi adimplendæ divinæ voluntatis, de qua dicit Apostolus, *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* 1. Thes. 4. 3. Qui aliter orat, divinæ misericordiæ ostium contra se claudit.